Acies Ordinata

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B. M. V.

OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V.

NUMERUS 2 – ANNI I — Martius 1924 — ROMA (17), VIA DEGLI ASTALLI, 16

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

Quis locus Congregationibus inter opera nostra hodierna sit tribuendus?

Quaestio haec a non paucis Nostrorum movetur. Sunt enim qui Congregationes Marianas confraternitatibus quibusdam aequiparent, quae optimae in se sint, non tamen nostris necessitatibus maiore quodam modo utiles.

Sunt qui dicant:

1. Congregationem Marianam antiquitus excogitatam esse, ubi condiciones temporum multo simpliciores fuissent, neque vita et organisatio — ut vocant — catholica adeo, uti nunc, esset exculta et ad necessitudinum differentias adaptata;

2. Congregationem feminis potius et puellis arridere, viris vero ac iuvenibus independentibus minus placere;

3. Congregationem nimiis regularum et ut dicunt formalismi nodis esse intricatam, qui satis molesti et odiosi aliquando sint; cum e contra organisationes recentiores maiorem libertatem et flexibilitatem prae se ferant;

4. Congregationes, ut plurimum, nihil fere esse quam pietatis cuiusdam inertis et sancti alicuius otii conventicula, quibus Catholici agiles et strenui minime alliciantur;

5. Terram multis in locis iam praeoccupatam esse aliis operibus et associationibus, ut « Iuventute Catholica », quae etiam ab auctoritate ecclesiastica multum commendentur, vix ut locum inveniias Congregationibus B. M. V. erigendis aut fovendis;

6. Congregationem paucos tantum homines, eosque bonos, attingere, cum hodie ingens populi christiani multitudo, pastoribus orbata, auxilium nostrum anhelet; nec licere, ipso S. Ignatio duce, omittere id quod universalius est, propter id, quod magis particulare sit.

His similibusque opinionibus haec breviter respondenda videntur:

I. *Congregatio Mariana nequaquam amisit praeclara illarum dotum encomia, quibus ipsa sua natura insignitur, aptaque redditur ad optimos fructus nostris etiam temporibus proferendos in vita christiana instauranda.*

II. *Difficultates allatae satis facile solvi possunt.*

I. Quaenam sint Congregationis emolumenta nostris etiam temporibus?

Peculiare decus Congregationum et utilitas nunquam satis efferenda illa est, quod Sodalitas bene directa nobis et Ecclesiae aciem quandam bene ordinatam efficit, qua vires nostrae multiplicentur, laboresque nostri a compluribus apostolis laicis adiuventur et perficiantur.

Verum quidem est, Congregatione satis paucos solummodo homines directe attingi. Attamen si hos pietate prorsus singulari et zelo apostolico ardenti et practico replemus, non est dubium, quin eorum ope paulatim magnam societatis humanae molem pervadere et ad christianum modum formare possimus.

Quid enim facit is, qui difficilem aliquem laborem perficere cogitat? Prae ceteris adiutores sibi quaerit, eosque format atque ad strenue secum laborandum incendit et exercet. En, idem praestat Mariana Congregatio, ad vitam christianam inter homines instaurandam.

Seligit aptissimum quemque. Ecce principium illud selectionis in Congregatione, quo statuitur, ut non omnes in illam acceptentur, qui bonam voluntatem habeant, sed solum illi, qui ad maiora anhelent, nec solum quoad orationem et pietatis exercitia, sed etiam quoad defensionem Ecclesiae et propagandam veritatem catholicam. Multae Congregationes vel ideo gradu suo exciderunt, quod satis indiscriminatim omnes illos assumpserunt, quicunque ad se venerant, vel ad summum negativas aliquas qualitates ab iis petierunt. In

Congregationem ii solum adsciscendi sunt, qui et pietate et B. Virginis amore ducuntur et desiderio strenue laborandi pro sua quisque condicione ad Ecclesiae emolumentum, et in utraque hac re simul instrui et exerceri cupiunt.

Format quoque suos Congregatio. Pietate imprimis, firma fide, virtutibus solidis. Atqui quis neget hoc esse omnis aedificii spiritualis et apostolici laboris necessarium fundamentum? Quam saepe res optime coeptae misere corruunt ob neglectum hoc in animis collaborantium fundamentum! Et quid ipsa Societas Iesu valeret, nisi candidatos suos tanta cura talique labore prius formaret et solidaret, quam ad labores apostolicos mitteret? Quis dixerit frustra et incassum insumi apud nos laborem Magistri Novitiorum aut Praefectorum spiritus? Aut tantum tempus probationibus sine fructu dari? Cur non mittuntur novitii statim ad praedicandum? Ecce, idem principium adhibetur mutatis mutandis a Congregatione. Et reapse haud raro iam querelae audiuntur ab ipsis illis modernarum organisationum directoribus (uti est Iuventus Catholica): misere se aliquando deceptos esse, cum hominibus fisi essent, qui videbantur utique fervidi, nec tamen profunde et religiose satis formati erant. Sicut enim apud nos ipsos, etiam quoad apostolatum, plus valent, qui virtute et zelo supernaturali plenius formati sunt, quam ii, qui donis naturalibus utique praediti fundamentum supernaturale minus solide straverunt, sic etiam in apostolatu laico fundamentum imprimis spirituale iaciendum et firmandum est.

Exercet tandem suos Congregatio. Neque enim singulos ad pietatem et zelum animarum hortatur solum et incitat, sed etiam in ipsa opera pietatis et caritatis inducit Sodales, eosque omnes simul et conatu communi. Omnia enim exercitia Congregationis id spectant, ut Sodales assuescant collatis viribus et modo probato tum in virtutes, tum in defensionem Ecclesiae incumbere, campum laborum scite inter se dividendo. Atqui hic est omnis operationis catholicae bene ordinatae cardo et meta, ut homines catholici doceantur 1. ex *intentione pura et supernaturali*, 2. *strenue et alacriter* agere, 3. *scite, apte prudenterque* agere, 4. *ordinate* agere, laboribus bene distributis, 5. *simul* agere, i. e. cooperari, alius alium non impediendo, sed iuvando. Quid igitur Congregatione fortius, utilius, universalius, si modo recte ea uti sciamus?

Idem etiam alio modo facile ostenditur. Omnibus fatentibus nihil hodie magis exoptandum est sacerdotibus atque etiam Nostris quam habere apostolos, quos vocant, laicos. Tam late patet hodie campus laboris apostolici, ut soli sacerdotes, numero et viribus satis limitati, ei excolendo prorsus impares sint. Adsunt etiam integrae sphaerae hominum, ad quas sacerdotibus, praesertim Nostris, ne aditus quidem patet. Eget etiam Ecclesia multis rebus, quae a sacerdotibus, praesertim Nostris, vix ac ne vix quidem fieri possunt, ut sunt pleraque opera politica, oeconomica, socialia etc. Sed etiamsi haec omnia a sacerdotibus ipsis fieri possint, multo maiore vi et efficacia certe fiunt a laicis sacerdotes adiuvantibus et cum eis consociatis. Apostolatus igitur laicus hodie ad defendendam rem catholicam et opera bona promovenda omnino necessarius est.

Atqui apostolatus laicus, omnibus item fatentibus, tum solum vere fructifer erit, si *duo condiciones* servantur. *Prima* est: ut qui apostolatum exercere volunt, id non ex amore quodam proprio faciant, vel ex naturali tantummodo agendi pruritu, parum stabili, vel etiam ex cupidine primas partes occupandi et honores capessendi; sed sint spiritu vere supernaturali imbuti, unde omnis bona intentio, constantia, patientia et spiritus ecclesiasticus in agendo oriuntur. *Altera* est: ut non caeco quodam et inconsiderato modo in varia illa opera sese proiiciant, ac si apostolatus modernus quolibet impetu exerceri possit, cum magis ars quaedam sit satis difficilis et implicata; sed ut prius *discant* artem fructuose ad Dei gloriam adlaborandi. Id est: instruendi sunt prae caeteris, tum theoretice, quam practice, et quasi schola aliqua apostolatus eis percurrenda, in qua, Directore duce et consiliis inter se collatis, praeparent, quid et quomodo agendum sit.

Haec autem omnia nusquam fere eo gradu ut in Congregatione Mariana fiunt. Vita illa quidem spiritualis certe fovetur etiam institutionibus merae pietatis (ut sunt opera quaedam eucharistica, vel ipsa etiam Spiritualia Exercitia); opera vero directe apostolica magnis illis modernis associationibus tamquam finis praefixa sunt. At nulla fere est institutio, qua homines ad duplicem illam apostolatus laici condicionem praerequisitam tam directe et proprie formentur, praeter Congregationem Marianam.

Accedit ad haec omnia non mediocris illa utilitas splendorque, quae Congregationi ex ipso Beatae Virginis nomine et imitatione adcrescunt. Saeculari Congregationum historia hoc axioma probatur, quidquid Beatissimae Matris nomine suscipiatur, id peculiaris omnino benedictionis pignus habere. Ipsa purissimae Virginis imagine coelesti haud raro ipsos etiam acatholicos allici videmus, iuvenumque nostrorum animos ad purioris vitae studium ac castissimae Reginae servitium modo mirabili erigi. Virtute Mulieris, caput conterentis diaboli, ipsi viri ad proeliandum proelium Domini inflammantur. Mulieris Fortis sub cruce stantis constantia mulieres docentur fortes

esse in adversis. Virginem imitari idem est atque prope Christum accedere, in eius familiaritatem admitti, eum intimo amore prosequi, operose ei inservire, ita ut schola Mariana ipsius Christi imitandi optima sit academia.

Tandem credendum est Societatem Iesu speciali Dei providentia ad opus Congregationum vocatam esse et particulari etiamnum gratia in illis fovendis frui. Neque enim ea, quae ad Dei gloriam et animarum salutem a Congregationibus nostris per saecula sunt eximie gesta, sine peculiari Dei ductu evenisse dixeris. Deus singulis religiosorum familiis singula videtur distribuisse beneficia ; nobis praeter Ignatiana Exercitia et cultum SS. Cordis Iesu (quae etiam utrumque apprime cum Congregationum vita cohaerent) Congregationis Marianae fovendae et propagandae pretiosa dona donavit. An tantummodo praeteritis temporibus valitura ? At Congregationes etiam hodie multis in locis nitidissime florent et speciali Dei gratia ac Beatissimae Virginis benedictione ornari cernuntur. An vero dicamus, antiquam illam vocationem ac benedictionem hodie iam ad has vel illas terrae partes solummodo restringi ? Talia opinari certo absonum esset.

Est ergo Congregatio Mariana nostris quoque temporibus utilissima et necessitatibus eorum accommodata. Ea tamen certe condicione, ut bene a nobis cognoscatur et scite regatur, neque eius loco inepta quaedam et falsa rei detorsio, seu, ut dicunt, carricatura substituatur.

II. Quid difficultatibus allatis opponendum ?

Brevissime ad obiectiones respondeamus.

Ad 1.um. Fatendum est sincere, non prorsus eundem locum Congregrationi inter religiosa opera hodie obtingere, quam saeculis elapsis. Antea enim Congregatio, ut plurimum, unica fere organisatio apostolica inter laicos erat ; nunc autem speciali cuilibet necessitati specialibus organisationibus providendum est. Sed nihil inde contra Congregationis Marianae necessitatem aut utilitatem sequitur. E contra haec necessitas ex hoc capite magis confirmatur. Nam hodie Congregationibus etiam magis opus est, ut varia illa opera et organisationes bene et cum fructu laborare possint, et praesertim ut homines vere apostolicos, bene in virtute fundatos, constantes, sui oblitos, atque sensu vere catholico instructos accipiant. Quot enim opera eximie coepta lacrimandum in modum corruerunt, quia « homines non habuerunt », aptos inquam et formatos ! Quot sunt, qui decepti sint, quod turrim voluerunt aedificare, nec de solido fundamento iaciendo satis cogitaverunt !

Multa opera variaeque associationes ortae sunt ? Eo magis nobis agendum est, ut vastissimus ille operationis catholicae campus ducibus aut militibus bene instructis non careat. Praerepta nobis opera sunt ? Atqui per Congregationes Marianas via nobis patet ad participandum quodammodo in omnibus illis operibus, videlicet curando, ut optimos quosque illorum associationum sodales religiosam formationem quaerentes in Congregationibus spiritu recto imbuamus et sic etiam in eorum opera plus efficaciae et virtutis infundamus.

Ad 2.um. Feminas magna frequentia in Congregationes confluxisse verum est, et fatendum, inde illud iam periculum imminere, ne vel ipsum Congregationis nomen aliquid muliebre audiat. Sed huic malo occurrendum est refovendo imprimis virorum et iuvenum Congregationes, easque a femininis seiungendo, vel quoad usus externos, vel ipso nomine distincto, si opus sit. Quodsi alicubi Congregationes virorum fere in desuetudinem abierunt, hoc plerumque non sine nostra culpa accidit, ubi quidam etiam Nostrorum id praetulerunt utiliori, quod facilius invenissent.

Ad 3.um. Non omnis facilitas seu flexibilitas semper est signum institutionis melioris. Secus enim etiam Institutum Societatis nostrae vituperandum esset, quod satis implicatis Constitutionibus uteretur. Regulae et consuetudines Congregationis utique paulisper onerosae sunt, sed hoc ipso magis etiam iuvant ad duplicem finem Sodalitatis melius et solidius obtinendum. Neque tamen illis regulis tantus rigor inest, ut necessitatibus locorum nullatenus accommodari possint. Novimus certe Congregationes optime florentes, quae sat magna libertate et flexibilitate regulas illas ad suas condiciones adaptaverunt. Imo diligenter regulas illas inspicienti illico patebit, quam latae illae et liberales sint. Utuntur enim saepissime illis locutionibus : « si nihil speciale obest », « expedit », « ordinarie », « ita fieri solet », « laudandus est ille mos », « si ita usus fert », « quando circumstantiae id suadent », « secundum cuiusque Congregationis necessitatem » et ita porro. Latissimus igitur patet per regulas iustae libertatis et prudentiae locus.

Ad 4.um. Querela ista e non paucis Provinciis affertur. Res est tanti momenti, ut speciali articulo sit mox dilucidanda. Interim sit satis dicere : nostram culpam esse, si Congregationes alicubi merae confraternitates precatoriae vel etiam Communionum menstruarum factae sint. Itaque erigendae sunt et ad typum verarum Congregationum reformandae.

Ad 5.um. Iterum distinguendo respondere possumus. Nullus locus manet Congregationi praeter omnes istas organisationes : si nullum alium finem Congregatio habet, quam associationes istae, *concedo* vel *transeat ;* si habet peculiarem finem, eum-

que maioris momenti, neque ita proprie ac profunde ab aliis societatibus promotum, *nego*. Non enim erit difficile melioribus illarum societatum sodalibus persuadere (quod saepe ipsi iam vident et sentiunt) : solidam pietatem et in virtutibus apostolicis formationem optimum esse fundamentum etiam ipsorum illorum operum bene perficiendorum ; hanc vero formationem nusquam fieri adeo strenue, ordinate et primario modo, uti fit in Congregatione. Utique difficilis est solutio quaestionis de relatione Congregationis ad illas alias societates ; nec tamen insolubilis videtur quaestio et satis multis in locis feliciter iam soluta est.

Ad 6.um. Paucos tantum homines Congregatione attingi : iterum distinguendum est. Bene recta paucos attingit Congregatio simpliciter loquendo : *nego ;* paucos attingit directe, multos tamen indirecte, *concedo*. Verum enim est, Congregationem principio selectionis inniti ideoque directe et immediate paucos et delectos tantum curare. Verum etiam illud est, non optime nos agere, si paucis illis piis hominibus (vel forte potius feminis) vires nostras tempusque nostrum ita tribuamus, ut eos ad apostolatum formare omittamus. At si praeclaro illo S. Ignatii principio ductis : quo quid universalius, eo esse divinius, nihil nobis adeo cordi est, quam ut apostolatum laicum foveamus, magnam partem societatis humanae indirecte certe attingemus, imo id quod per nos ipsos praestare non possumus, multiplicatis adiutoribus facilius obtinebimus. Saepe enim consultius est et pluribus animabus proficuum : adiutores efformare, quam omnia directe et per nos ipsos efficere velle. Quid etiam duci utilius est bella paranti : seipsum solum hostibus obiicere, an alios secum milites ducere, instructos et victoriae cupidine accensos ? Centuriones et decuriones, per quos ducis ipsius virtus quasi multiplex et omnipraesens redditur ? Qui hanc quaestionem dirimit, is obiectionem factam facile diluet.

Liceat ea, quae diximus, brevi narratione concludere. Parochus quidam, sacerdos saecularis, magnae urbis cuiusdam pastor, in congressu Mariano (Salzburg, anno 1910) haec publice protulit : « Per sex primos annos muneris mei parochialis nihil de Congregationibus Marianis sciveram. Tum tentamen feci et Congregationes aliam post aliam institui. Experientiam, quam istis Congregationibus inde per sat multos annos feci, hisce complecti possum : *poenitere me sex illorum annorum*, eosque quasi perditos et excisos e vita mea respicere, *quibus Congregationum Marianarum ope et auxilio carueram* ». Quodsi saecularis ille sacerdos ita sensit, quid nobis sentiendum est, quantumque poenitendum, si tam praeclaro Dei Virginisque Beatae dono nostra forte oblivione caruerimus ?

DE APOSTOLATU
in Congregationibus Collegiorum nostrorum.

Saepe auditur, finem Congregationis alterum, qui est apostolatus, obtineri forsitan posse ab aliis Congregationibus, non tamen a Congregationibus adolescentium, qui in Collegiis aut Convictibus nostris sint. Agi enim hic de iuvenibus, qui nondum ad exercendum apostolatum maturi sint atque praeterea ordine studiorum et disciplina Convictus a libera apostolatus exercitatione arceantur.

Necessitas educationis ad apostolatum.

Si apostolatus ad omne Sodalitatum genus spectat atque ad ipsam Congregationis naturam pertinet, ergo etiam in Congregationibus adolescentium et Convictorum nostrorum locum obtinere eum oportebit. Nisi dixeris Sodalitates Collegiorum nostrorum non esse veri nominis Congregationes.

Immo apostolatus in istis Congregationibus peculiari quadam ratione commendatur eo, quod secus periculum imminet, ne discipuli aut Convictores nostri Congregationem solum ut meram pietatis associationem vel etiam ut medium quoddam ad disciplinam externam tuendam et studia promovenda aptum respiciant, non autem ut rem omnimodi valoris et ad vitam etiam posteriorem spectantem.

Praeterea si quid est quod in institutione religiosa iuventutis nostrae maximi momenti sit, ea certe est educatio illorum ad spiritum virilem et operosam pro religione, qui etiam in vita eorum posteriore se ostendat per conscientiam sui catholicam, internamque in fide firmitatem. Quibus rebus vix ulla ratione tam efficaciter consulitur, quam parvis exercitiis apostolicis iam inde ab adolescentia susceptis. Nullo enim vinculo adolescentes arctius religioni et Ecclesiae iunguntur, quam si assuescunt unum se sentire cum Ecclesia et causa catholica, matureque incipiunt pro religione pugnare, laborare, ardere, pati. Spiritus ille apostolatus et sacrificii iam a teneris annis in illis nutriendus est, operibus certe condicioni illorum consentaneis, e. g. promovendi bona et pia colloquia, arcendi turpia, fovendi in sociis fervorem in litteris, gratitudinem et amorem erga Patres etc. Non esset igitur rationabile indolem apostolicam Congregationis apud iuvenes oblivisci. Quodsi aliquando iuvenes maiores etiam ad opera quaedam extraordinaria (Superioribus approbantibus) inducendi videbuntur, haec studiis vel disciplinae nocere non debent ; sed ex altera parte neque nimis timidos nos esse oportebit, aut propter exaggeratam quandam studiorum et quietis domesticae curam adolescentibus occasiones aptas apostolatum exercendi anxie praecludere.

Sectiones in Collegiis.

Patet tamen in apostolatu exercendo in Collegiis et Convictibus nostris primario ipsam vitam Collegii et officia status discipulorum respicienda esse. Iam veterrimas discipulorum Congregationes legimus hunc peculiarem sibi finem praefixisse, ut Sodales in studiis et diligentia excellerent ; saepe omnia praemia tam studiorum quam disciplinae

domesticae Sodales consecuti sunt (1). Sic etiam hodie omnis Congregatio scholarium id prae ceteris curabit, ut rectum ordinem et in studiis profectum promoveat et Patrum nostrorum, Magistrorumque ac Praefectorum laborem faciliorem reddat et fructibus uberiorem, nec tamen institutio quaedam fiat mere disciplinaris aut, quod peius esset et omnino damnandum, denunciatoria. Sic etiam peculiari apostolatus ardore (forte etiam *sectiones* hunc in finem constituendo) incitari possunt eiusmodi Congregationum discipuli : alii ut diligentiam in studiis promoveant, alii ut ordinem et disciplinam domesticam foveant ; ita tamen, ut utrumque ex persuasione intima et libera voluntate indolisque suae ac characteris firmandi amore faciant, et hac persuasione illos quoque condiscipulos imbuere conentur, qui ad Sodalitatem non pertinent.

Congregatio ita mox *centrum fiet totius vitae discipulorum* et influxum exercebit etiam in alias alumnorum societates et opera. Quod eo magis obtinebitur, quo alacrius etiam alii Magistri ac Praefecti, praesertim diversorum operum et coetuum moderatores, laborem suum ad id conferunt, ut Congregatio Mariana quasi medulla sit omnium illorum operum et institutionum, quae in Collegio fiunt (2).

Sectio etiam *caritativa* in Collegiis id praecipue sibi proponet, ut Sodales data opera succurrant imprimis suis condiscipulis et coaetaneis ex amore supernaturali. Adolescentes illi, qui in studiis facilius progrediuntur, opitulabuntur debilioribus ac tardioribus ; opulentiores contribuere parvam eleemosynam poterunt ad promovendam educationem catholicam eorum iuvenum, qui pauperie fortasse pressi a scholis catholicis arcentur. Etiam inter se hanc caritatem aliquando exercere licebit, sed cum summa discretione, nisi mores loci id fieri omnino prohibeant. Alii socios aegros invisunt et consolantur. Maioribus tamen discipulis, si Superiores consentiunt, etiam plus concedi in hac re potest. Sic magno eis animi emolumento esse solet, si aliquando etiam *nosocomia et pauperum habitationes invisunt,* duce sive ipso Directore sive aliquo Sodali fideli et maturo, binis vel ternis se consociantibus, et bene electis pauperum domibus, ad quas accessuri sint. Pericula tam physica quam moralia in eiusmodi visitationibus prorsus excludenda sunt ; atque, ut plurimum, consensus parentum acquirendus secundum regulas uniuscuiusque Collegii. Visitationibus eiusmodi pauperum et aegrotorum incredibile quantum animi iuvenum ad ingenuum quendam cogitandi modum educantur et etiam adolescentibus ad leviora propensis, quam seria vita sit, ostenditur.

Simili modo discipuli maiores aliquando diebus dominicis post prandium induci possunt, ut pueris operariis vel derelictis, sive in associationibus quae « patronages » dicuntur, sive aliis in locis, operam dent, e. g. *doctrinam christianam explicando* vel alia instructione utili ; qua etiam re tam isti pueri operarii, quam iuvenes nostri Sodales mirum in modum delectantur.

Sectiones tam haec quam caritatis, si quando opus est, parva pecunia collecta, etiam aere indigentibus succurrere possunt, vel theatri seu academiae suae publicae fructum eis impertiendo, ubi id, maxime per studia, fieri potest. Idem *sectio missionum* facere potest, quae praeterea tam ipsa se studiis lectionibusque de re missionaria dedet, quam condiscipulorum et aliorum attentionem ad missiones catholicas diriget, e. g. parvas de hac re conferentias inter se habendo, etiam imaginibus proiectis, vel apta folia librosque aliis legendos tradendo. Sectio missionaria apud minores formam induere potest operis « Pueri Iesu », apud maiores operis « Propagationis Fidei », praeferendo missiones suae nationis vel etiam nostrae Societatis. In omnibus autem his operibus, praesertim in colligenda pecunia, signis postalibus etc., *non adeo ipsa quantitas iuvaminis materialis* potissimum ob oculos nobis ponenda, quam magis *utilitas educatoria,* ut adolescentes Sodales gustum et consuetudinem latioris cuiusdam sensus catholici et apostolatus acquirant.

Late patet porro in Collegiis et Convictibus nostris campus *sectionibus pietatis* instituendis, quae tamen ita a perito Directore ordinari possunt, ut fere semper etiam finem et utilitatem *apostolicam* prosequantur. Instruendi enim adolescentes sunt, ut exemplo et bonorum operum propagatione etiam alios iuvenes sive Sodales sive non-Sodales secum trahere eosque ad pietatis opera ex sincera animi persuasione suscipienda inducant. Sic sectiones « Laudis Perennis », Rosarii vel Communionis cotidianae in Collegiis vigere possunt, vel sectio Apostolatum Orationis promovens ; rationem sibi ipsis reddendo, uti in sectionibus fieri solet, tam conaminum suorum, quam fructuum, quos collegerunt. Inter opera illa et sectiones pietatis eminet cultus SS. Cordis, quo adolescentes, si eum bene edocti sunt, miro modo ad spiritum sacrificii accenduntur. Videndum tamen, ne opera illa a iuvenibus more quodam mere externo, imperato vel machinali fiant, multoque minus modo adulatorio erga Directorem et Magistros, sed potius ex interna persuasione et desiderio promovendae salutis animarum.

Modi quidam peculiares.

Praeter hos modos generales apostolatum in Collegio exercendi, quos diximus, tres alii modi particulares commendari possunt.

Primus ille est : ut adolescentes Sodales apostolatum *inter ipsos suos cognatos exerceant* tum epistolis scriptis, tum quando suos invisunt aut ab iis invisuntur, vel feriarum tempore. Monendi sunt rectum caritatis ordinem inter domesticos parietes incipere ; saepe verbulo, imo etiam ipso exemplo filii dilecti plus obtineri in familia quam longis sermonibus aliorum. Inducendi sunt, ut sua intersit, qualis sit vita religiosa in familia sua ; assuescant dolere et difficulter ferre, si domi suae sive feriae sextae sive dominicae sive paschatis praecepta negligantur, si nec SS. Cordis nec BB. Virginis imagines domi reperiantur, nec Rosarium, nec libri boni, nec devotio novimestris s. Communionis feriae sextae cognitae sint, si ephemerides antichristianae a familia legantur, si inter cognatos divortia et matrimonia illicita occurrant etc. Monendi tamen sunt, ut prudenter agant ac suaviter in modo, multoque minus Director ipse imprudenter se rebus familiarum misceat. Sed neque

(1) Cfr. G. *Kratz,* Aus alten Zeiten, 29.

(2) Quomodo opera externa dividenda sint inter Congregationem et alias iuvenum associationes, si quae in Collegio vigeant, alio loco exponemus.

iuvenes quasi obtrudere se aut docere parentes suos velint ; sint suae condicionis memores ac modesti ; fortiter et constanter pergant exercitia pietatis facere et sic senioribus exemplo suo praedicent. Aequales tamen et pueros iuniores etiam verbis cohortari possunt.

Secundus modus est : propria et formalis quaedam *praeparatio iuvenum ad apostolatum laicum postea in vita sua exercendum* et ad hunc finem serium studium actionis et organisationum catholicarum. Etiam pro hoc apostolatus praeparatorii genere peculiaris sectio inter iuvenes classium superiorum institui potest. Sectionis huius erit legendo et collationes inter se instituendo propius cognoscere Ecclesiae necessitates, conamina, luctas, oppressiones, victorias, prospectusque prosperos, atque modum operandi actionis catholicae cognoscere in vita religiosa, sociali, culturali et publica ; percurrere condicionem rei catholicae in singulis nationibus, tam generatim, quam quoad singula opera maioris momenti, e. g. quoad educationem catholicam in illis, quoad scholas et universitates, quoad impressionem et ephemerides, quoad socialismum etc. Sicut enim iuvenes in scholis militiae ita ad officialium munus formantur, ut discant, quid quoque modo belligerentes facere soleant, sic etiam qui apostolatum laicum aliquando serio exercere cupiunt, data opera actioni catholicae cognoscendae studere debent.

Tertius modus peculiaris actionis apostolicae discipulorum nostrorum ille est, qui *vacationes* (natales, paschales et aestivas) complectitur. Latissima patet hic zeli apostolici iuvenibus occasio, nec temporis parcitas hic eos impedit.

Director prudens vacatione appropinquante nunquam praetermittet ardorem iuvenum apostolicum excitare. Dicet eis, nunquam magis quam feriarum tempore ostendi, quorumnam Sodalium in B. Virginem amor, zelus, sensusque vere catholicus sincerus sit ac profundus. Dicet eis, optimam nunc occasionem apostolicis exercitationibus dari : offerendi se Parochis vel Cooperatoribus, ut qua ratione velint, eorum opera utantur ; propagandi Communionem frequentem, diffundendi bonos libros bonasque ephemerides, faciendi opera caritatis etc. Dicet eos nunc ad diversa hominum genera accessuros, qui fortasse sacerdotem nunquam audiant, ipsos vero iuvenes tamquam litteris cultiores cum aliqua veneratione reverituri sint ; illos facile in bonam partem moveri posse eorum verbis et exemplo. Poterunt etiam *singulae sectiones pro feriarum tempore programmata quaedam determinata constituere* et Sodalibus iniungere, ut statutis temporibus, etiam in vacatione, praesidibus sectionum litteris missis brevem rationem reddant. Item revertentes postea in Collegium suae quisque sectioni exhibeat, quid tentaverit, quosve fructos ceperit. Axiomatis enim instar id tenendum est, Sodalem qui iuvenis apostolicos labores suscipere suo marte non tentaverit, vix unquam postea apostolum futurum, ipso poeta dicente :

" Urit mature, quod vult urtica manere ".

Sciat etiam Director nunquam Congregationem a iuvenibus ipsis magni aestimatum iri, quae serium ab illis laborem poscere ausa non fuerit tam sanctificationis sui quam apostolatus.

Sodales ad vitam educandi.

Congregationes Collegiorum nostrorum seminaria esse debent virorum spiritu Sodalitatis penitus imbutorum. Undenam bonos et optimos Sodales in aetate matura exspectemus, nisi in Collegiis nostris optimos educaverimus ? Teste historia Congregationum, Sodalitates antiquae Collegiorum nostrorum hanc prae ceteris utilitatem habuerunt, quod Sodales inde in vitam egressi milites se exhiberent primarios rei catholicae sive servandae, sive ubique restaurandae. Hanc autem vocationem et utilitatem Congregationes Collegiorum nostrorum etiam nostro tempore habeant necesse est, debentque seminaria esse Sodalium fortium et actuosorum. Nisi hoc obtineamus, pulcherrimo fructui tot laborum et sacrificiorum nostrorum, quae Collegiis insumuntur, renuntiaremus. Neque bonum de se testimonium illa Collegia exhiberent, quorum Congregationibus Sodales quidem « excellentes » effingerentur, sed solum dum sub oculis magistrorum sunt ; cum primum autem in vitam egressi essent vel ad universitates transiissent, Congregationi terga verterent, neque alteri Congregationi, ad novam suam condicionem accommodatae, nomen dare festinarent.

Querebatur Director quidam peritissimus, quod magna pars Congregationis virorum cultorum in Residentiis nostris non ex Congregatione nostra universitaria, et etiam haec non ex Congregationibus Collegiorum subolem suam acquirant, sed eam aliunde fere sibi procurent. Certe si vel media pars eorum, qui in Collegiis « pii sodales » fuerant, ad Sodalitates adultorum transirent et ibi perseverarent, hae tam numerosae iam essent, ut numerum Sodalium adolescentium longe superarent. Revera autem res e contrario evenit. Quid autem prodest, tot iuvenes tanto cum ardore, cum in Sodalitatem assumerentur, promisisse, se dum victuri essent, Congregationi fore fideles, si relicto Collegio mox signa militiae Marianae abiiciunt ? Annon melius res evenirent, si Sodales iam a teneris annis adstringerentur, ut in Congregatione non tantum rem aliquam piam, sed etiam seriam et virilem videant ?

Ipsa illa multorum iuvenum e Collegiis exeuntium inconstantia monemur, aliquid nonnunquam deesse vel melius faciendum esse in regendis Congregationibus quibusdam Collegiorum.

Certe scholarum nostrarum finis primarius non adeo instructio et progressus inlitteris est, quam educatio et formatio iuvenum catholica. Formatio autem optimorum catholicorum in Collegiis maxime Congregatione efficitur. Unde bona, seria, operosa directio harum Congregationum, quoad utrumque Congregationis finem, centrum quodammodo conaminum nostrorum et attentionis in Collegiis sit oportet : Superiorum, Magistrorum, Praefectorum, omnium. Ob hanc causam iam P. Mutius Vitelleschi ad Provinciales scripsit, ut officium Directoris Congregationis « non cuilibet, qui forte postremus in ministeriis obeundis et reiectaneus videretur », esset committendum, « sed omnium optimis », « adeo ut ista occupatio omnibus aliis, si necesse fuerit, et studiis quoque ipsis anteponatur ». (8 Oct. 1631).

QUAESTIONES PRACTICAE

Congregatio et aliae associationes in Collegiis nostris.

Scribit Pater quidam: " Quaenam sit oportet relatio inter Congregationem Marianam in Collegiis nostris et alia opera et associationes, quae ibidem introducta sunt?

" Congregatio, cui bene regendae Nostri magna cum diligentia student, non raro, nec sine detrimento, quasi opprimitur operibus illis magis modernis, quae in Collegia inducta sunt, e. g. *Associatione Iuventutis Catholicae.* Huius enim programmate multa comprehenduntur: pietas, studium, actio; ex his Iuventus Catholica studium et actionem sibi reservat et solam pietatem Congregationi relinquit. Verum id quidem est, pietatem finem esse Congregationis principalem, sed si Congregationi nihil actionis externae fructuumque huius actionis relinquitur, Congregatio, ut dici solet, in sacristiam relegatur. Ad extra solum Iuventus Catholica apparet, haec sola agit et laborat, et consequenter adolescentes hac sola fere attrahuntur. Indoles enim iuvenilis magis delectatur operosa et activa associatione, quam Congregatione, quae sic ad vitam ferme claustralem ac contemplativam arctatur.

" Aemulatio igitur Congregationi nocet. Quomodo damno huic occurrendum?

" 1. An arcendo a Collegiis nostris organisationes a Congregatione diversas? Et in specie illos solos admittendo ad Circulos studiorum, qui etiam Congregationi nomen dederunt, ut antiquitus quoad academias praescriptum erat?

" 2. An potius ipsae Congregationes Marianae adaptandae sunt ad naturam Circulorum et Associationis, ita ut idem sit Congregatio in Collegio et Circulus? Puta hoc casu ipsa Congregatio tamquam proprius Circulus Associationi Iuventutis adscriberetur, sua natura quod fieri poterit servata.

" 3. An potius in id tendendum, ut Congregati efficiant primum nucleum Associationis, quae tamen postea iuxta suam autonomiam evolvatur?

" Haec ultima solutio, quamquam primo aspectu optima, periculum non tollit. Videtur servare Congregationi quemdam influxum, revera tamen hic influxus mox evanescit.

" Primam solutionem omnes Directores Iuventutis Catholicae abhorrent et quasi anathemate plectunt.

" Secunda non minus caret difficultatibus. Duo enim erunt nomina pro una re et omnia confundentur. Neque e. g. ille qui Congregationis Praefectus esse debet, erit ad munus Praesidentis in Associatione obeundum aptissimus. Natura ipsa Congregationis aut servatur — et tum casus recidit in casum primum —, aut non servatur, et tum alteri Associationi Congregatio suum locum cessit. Si vero dicitur illis solis licere Iuventuti Catholicae nomen dare, qui etiam Congregationi adscripti fuerint, erunt inter iuvenes qui dicturi sint: accedo ad Congregationem, solum quia hoc necessarium est ad ingressum in Circulum: et ita tam aestimatio Congregationis quam internus vigor eius ac spiritus mox deprimentur.

" Certum omnino est magnam esse diversitatem opinandi hac de re vel inter ipsos nostros Directores et Congregationem hac ipsa opinionum diversitate non parum aestimationis perdere. Non sunt certo privandi adolescentes Collegiorum nostrorum cognitione aut usu operum insignium nostri temporis, sed illa cum detrimento Congregationum nostrarum instituere certe non est aequum.

" Quid de hac re dicendum?"

Respondendum videtur imprimis verissimum esse id, quod ultimis his verbis dicitur: Congregationem non esse nec sacrificandum nec quasi opprimendum novis operibus quamvis bonis et in se utilibus. Congregatio enim historia teste ad omnia tempora accommodari potest et accommodata iam erat, habet igitur optimum experientiae longissimae pro se testimonium; alia vero opera quamquam in se optima hoc testimonium diuturnae experientiae certe non habent, neque habere possunt, cum recentes omnino sint. Nondum scimus, quantum singula duratura sint. Sed nolumus, quasi vetustatis laudatores, solum ex traditione praeteritarum rerum argumentari. Manet inconcussum illud principium, *formationem internam et proprie religiosam fundamentum esse omnium rerum, etiam omnis fructiferi apostolatus et actionis catholicae.* Quare Congregatio, huius formationis tam apta palaestra, suum certe locum primarium praecipuo etiam modo in Collegiis, retineat oportet.

Quaestio autem illa, quomodo ordo et relatio inter Congregationem et alia opera, praesertim Associationem Iuventutis Catholicae, stabiliendae sint, etiam extra Collegia nostra multum negotii facessit, eritque in ephemeride nostra funditus tractanda. Interim quoad ipsa Collegia nostra haec fortasse cum aliqua spe fructus innuere possumus.

Prae ceteris bene tenendum, imo etiam adolescentibus bene explicandum est *discrimen essentiale inter Congregationem et opera* magis ad activitatem externam proprie spectantia. Hoc enim discrimen Sodales iuvenes postea etiam in vita semper invenient, et nisi bene eis illud ob oculos versetur, nunquam scient, quomodo activitatem suam inter Congregationem (cui etiam postea fideles esse debent) et alia opera actionis catholicae dividant. Inducendi enim sunt, ut perspiciant, non solum *actione catholica* opus esse, sed etiam et primum omnium *opus esse hominibus profunde religiosis et in pietate ac zelo interno exercitatis,* ut in actione catholica cum bona intentione, spiritu sacrificii, perseverantia et vigore operari possint. Opera illa optima in se esse, sed magnam partem iam potius *praesupponere* spiritum aliquem religiosum et zelosum in membris suis, saltem in iis, quae ipsis plurimam utilitatem et quasi virtutem internam afferre debeant. Eo etiam magis florere totam actionem catholicam, hodie tam multiformem, quo plures in eam evolvendam homines spiritu religioso et zelo supernaturali penitus imbuti incumbant, ne illud Prophetae in iis verificetur: " Multiplicasti gentem, et non magnificasti laetitiam ". Curari utique etiam organisationibus illis modernis, praesertim iuventutis, vitam religiosam, sed magis eo fine, ut *acquisita iam religio* in animis iuvenum *conservetur et foveatur;* non autem in id eas primario et quasi *totis viribus* et maxime proprie tendere ac quasi specialem suam provinciam respicere, ut iuvenes *ad sanctitatem* et status sui *perfectionem* excitentur. Opus igitur esse tum variis operibus, quae

religioso fundamento innixi diversis rei catholicae necessitatibus organisato quodam modo succurrant; sed aeque omnino necessariam esse specialem organisationem *vitae religiosae fovendae* ordinato modo addictam, qualis est Congregatio.

Ex hac igitur parte non nocet, si duo sunt in Collegiis organisationum genera: Congregationis inquam et Iuventutis Catholicae. Bona enim occasio ita datur et tempestive, assuefaciendi iuvenes ad distinctionem illam, sine qua nec postea in campo apostolatus moderni rectam viam invenire poterunt. Bona occasio etiam pro Nostris, ut clarius videant *conceptum genuinum Congregationis*, quid proprie sit et velit, et qua ratione aliis Associationibus coordinanda sit; quis sit eius proprius campus, quid vero aliis relinquere debeat. Confusiones quaedam et disputationes illae utique taedio sunt, sed fortasse necessariae, ut ideae magis clarescant.

Est nimirum crisis quaedam nunc in historia Congregationum; neque solum earum, quae in Collegiis sunt. Transitus enim fit ad illum rerum statum, in quo actioni externae Congregationum non amplius ubique patet latissimus ille apostolatus campus et a nullo occupatus, qui antea patebat. In quibusdam regionibus, ubi organisationes catholicae non ita sunt evolutae, difficultas ista vix sentitur; ibi ergo tota actio externa Congregationis per sectiones et academias quiete exerceri pergit. Alibi autem, procedente evolutione organisationis catholicae, activitas externa, saltem quoad apparentiam, semper magis ad speciales illas organisationes transit. Summi momenti igitur est, ut Congregationum Directores apparenti hac rerum mutatione ne inducantur in exitialem illum errorem, aut Congregationem iam esse superfluam et ad condicionem merae confraternitatis piae reducendam, aut tam mordicus et exclusive Congregationis nos tenaces esse debere, ut aliis illis operibus, saltem in Collegiis nostris, ne locum quidem concedamus. Bene autem componitur crisis ista, si accurate ad finem proprium attendamus, cum Congregationis, tum operum aliorum.

Praeter diversitatem finis aliud quoque intercedit discrimen inter Congregationem et associationes illas, e. g. Iuventutis Catholicae, discrimen inquam quoad *usum principii selectionis*. Utraque enim associatio selectionem quandam adhibet, sed longe aliam haec atque illa. Congregatio enim eos solos admittit, qui non tantum honesti et boni catholici esse et pro re catholica plus minusve strenue laborare velint, sed qui peculiari quodam virtutis et religiosae vitae amore trahantur et excellere christiana perfectione et zelo apostolico desiderent. Quare Congregatio etiam multo plus a membris suis postulat quam associationes illae, et eo ipso ad pauciores sodales restringitur. Et gaudendum nobis videtur, quod associationibus illis modernis, quae secundum suum finem etiam plus splendoris externi habent, aptum medium nobis affertur *etiam illos in religione et actione catholica fovendi, qui ad altiores Congregationis fines*, ad perfectionem et sui sanctificationem proprie dictam, *minus sunt idonei, minusque illis attrahuntur*. Saepe enim ideo Congregationes languerunt, quod unica tantum organisatio religiosa alicuius loci erant, et pastores animarum, hominum miserti, omnes ad Congregationem admiserant, quotquot bonae voluntatis homines vel iuvenes invenissent, ne illi sibi relicti religioni perirent. Sic multi irrepserant in Congregationem, quos sanctificationi sui sincere studere nemo sane dixerit.

Ex his fortasse satis iam patet, quaenam Congregationis condicio adversus associationes, sive Iuventutis Catholicae, sive e. g. eorum qui *Boy Scouts Catholici* dicuntur, sit oporteat. *Vivant pacifice altera cum altera.* Congregatio libenter cedat illis splendores externos (praeter sua festa religiosa) et etiam magnam partem opera externa qua talia (retentis tamen illis apostolatus generibus, quae magis directe et proprie religiosa sunt, e. g. apostolatum eucharisticum, opera misericordiae etc.); et sincere conetur id per Sodales suos efficere, ut Iuventus Catholica operaque similia quam maxime floreant ad emolumentum etiam illorum, qui Congregationi nomen dare aut nolunt, aut nequeunt. Sint Congreganistae *quasi fermentum Associationum* et quibus harum Directores maxime fidere et inniti possint. Nolint sibi in regendis et gubernandis Associationibus primas vices postulare, neque Congregatio aut Director eius quasi ius sibi arrogent immiscendi se in regimen Associationum. Sint contenti illo *personali influxu*, quem certo ubertim in illa ipsa opera eorumque sodales exercebunt, si boni Congreganistae fuerint. Sibi persuadeant, maiorem et altiorem apostolatus modum esse illorum, qui *laborare tantum* cupiant, splendorem vero et gloriam libenter aliis relinquant. *" Dummodo glorificetur Christus!"*

Hoc modo etiam ad illorum obiectionem respondetur, qui dicant: adolescentes non attrahi Congregatione, quae quasi in obscuro remaneat, cum ad extra magis Associatio semper appareat. Reponi enim iure potest: hoc tantum abesse ut noceat, ut magis etiam conferat ad naturam et genuinum conceptum Congregationis melius servandum. Dicamus Sodalibus aperte, fiatque haec quasi opinio publica in Collegio et inter ipsos iuvenes: Congregationem Coenaculum quoddam sanctum et tranquillum esse et interioris vitae scholam, neque oportere ut illi ad eam accedant, qui potius externum quendam vigorem aut etiam splendorem quaerant. Dicamus eis, latissime patere campum apostolatus etiam Congregationis proprium, salutarem influxum exercendi in suos contubernales, e. g. mala colloquia praevertendo, spiritum religiosum in divisione sua augendo etc.; esseque hoc apostolatus genus, si ordinato modo fiat, omnino vigorosum, virile, frugiferum, etsi minus ad extra splendeat. Sollemnitates quidem aliquae, praesertim religiosae, et opera quaedam apostolica magis pia, etiam Congregationi necessariae sunt et utiles, nec debet Congregatio quasi merus tantum orantium coetus apparere; sed externis attractionibus Congregatio non multum eget, neque egere debet, ut sodales sibi conquirat. Ii, qui proprio fine Congregationis bene eis proposito non attrahuntur, maneant foris.

Quoad academias, seu (quod idem est) studiorum Circulos, qui antea solis Congregatis reservati erant, iam pridem usus plerumque praevaluit, illos in Collegiis latius aperiendos esse et etiam non-congregatos esse ad illos admittendos. Qui usus in iis praesertim regionibus necessario inducendus erat, in quibus ipsa Gubernia Statuum academias eiusmodi omnibus adolescentibus, qui bene in litteris profecissent, fieri praescripserunt. Fiant ergo Circuli independentes a Congregatione; tractent praeter ea, quae ad studia scholis propria pertinent, de quaestionibus apologeticis et activitatis catholicae et

socialis; Congregati autem sint hic quasi fermentum et curent apostolatum suum in ipsis his Circulis exercere, e. g. themata evolvendo magis ad religiosam omnium inflammationem idonea. Sed praeterea *habeat etiam Congregatio suam parvam academiam,* etsi tantum semel in mense cogendam, cuius sit themata propius religiosa (Mariana et alia) suo cuiusque marte exarare vel declamationes religiosas in medium proferre in utilitatem et aedificationem ipsorum Sodalium; praeterea publicam academiam sollemniorem Congregatio semel vel bis in anno instituat ad omnium, etiam hospitum externorum, utilitatem religiosam et aedificationem.

Diximus Congregationem pacifice quaedam cedere Associationi debere et ipsum eius Directorem ostendere oportere, se Associationem quoque magni aestimare. Per se patet, idem vice etiam versa valere de Directoribus Associationum erga Congregationem, et maiorem in modum. Res in praxi non caret tribulis. Sed hoc problema tandem aliquando hodie universale est in toto campo actionis catholicae. *Pacifica cohabilatio sine offensa Creatoris* officium est omnium operum religiosorum (imo etiam familiarum religiosarum), quotquot in eadem vineae dominicae parte sub diversis rationibus laborant. Si ne nos quidem hoc problema solvere possimus, idque inter pacificos Collegiorum nostrorum parietes, quae tota in nostra sunt ditione, *quomodo illud solvent alii?* Et quomodo alios rectam viam ad solvenda problemata similia docebimus? Et quomodo ipsi alumni nostri in Collegiis discent, quomodo etiam in posteriore vita simul et Congregationem frequentare et variis associationibus addicti esse possint? (1)

Definitio Congregationis. Pater quidam suggerit quaerendam esse per concursum quemdam optimam definitionem Congregationis Marianae, qua accurate tam natura quam fines Sodalitatis huius exhibeantur. " Fortasse enim – inquit – defectu bonae definitionis ipsae notiones aliquando fluctuant. Equidem proponerem definitionem eiusmodi: Congregatio sive Sodalitas Mariana est religiosa et ecclesiastica, plerumque iuxta diversitatem statuum constituta associatio laicorum hominum, quae hunc finem sibi proponit, ut per ferventem devotionem erga B. V. Mariam in unoquoque ordine perfectos christianos efformet atque ita Ecclesiae Christi egregios ubique defensores ac ministros suppeditet. Si definitio ista ab aliis vel emendetur, vel omnino aptius exprimatur, eo gratius mihi erit, quod nunc praecise allaboro novo manuali Sodalitatum (nostra lingua) edendo ".

Primum responsum se offert: datam esse authenticam definitionem ipsis regulis A. R. P. Wernz, nec aliam esse quaerendam. Sed reponet ille, qui quaestionem posuit, definitionem P. Wernz magis descriptivam esse quam constitutivam, ac magis communem usum spectare, quam exactam notarum collectionem. Itaque hoc sensu nihil obstat, quin definitionem etiam magis philosophicam quaeramus. *Quoad definitionem exempli gratia oblatam:* non placet vox " laicorum ", nam Congregatio etiam clericorum esse potest; hoc enim genus Sodalitatum iam a P. Aquaviva vehementer commendatum est et hodierno quoque usu multis in locis probatur. Sic in archidioecesi Friburgensi in Germania circiter 1200 sacerdotes Congregationem Marianam Sacerdotum constituunt. Libenter tamen animadversionibus de re ista locum dabimus.

(1) Ad quaestionem hanc tanti momenti melius dilucidandam invitantur lectores, ut sententiam suam dicant, si quid alio modo faciendum vel addendum existiment. — *Ed.*

De ludis et sectionibus sportivis in Congregatione. *Scribit Pater quidam:* Necessarium mihi videtur ut aliqua generalis norma definiatur in Congregationibus ad recreationes admittendas vel prohibendas; quia sine dubio sectiones sportivae facile ultra debitam moderationem promoventur et praecipuum officium Congregationum, quod est informare iuvenes ad solidam pietatem, in praxi secundum tenet locum.

Respondemus: Quaestio ista solvi posse videtur considerato fine Congregationis, qui non est idem atque ille, quem sibi pleraeque aliae associationes catholicae, praesertim iuventutis, praefigere solent. Hae enim ultimae saepe ipsas recreationes honestas tamquam proprium sibi finem prosequuntur. Congregatio autem Mariana finem *omnino supernaturalem et religiosum* profitetur, sanctificationem sui et apostolatum. Difficile autem intelligitur, quomodo hic finis *ludis* tamquam mediis propriis obtinendus sit. Possunt utique ludi etiam a Congregatione promoveri, sed *per accidens,* duobus modis. Primo enim moderatus aliquis ludorum usus *sanctam hilaritatem et fraternum spiritum* inter Congregatos adolescentes promovere solet, quare passim etiam adhibetur, e. g. ante vel post conventum hebdomadalem per breve tempus, praesertim ubi Sodales ex diversis magnae urbis partibus conveniunt, neque per hebdomadam familiariter inter se agere possunt. Secundo Sodales genus quoddam apostolatus exercere possunt instituendo, promovendo vel etiam gubernando *associationes ludorum catholicas,* quibus opus est, ut adolescentes catholici exercitationes gymnasticas inter se foveant et a societatibus gymnasticis vel sportivis acatholicorum retineantur. Utroque tamen casu ludus non per se a Sodalitate promovetur, tanquam opus sibi proprium, ideoque nec decet de " sectionibus " sportivis vel recreativis loqui. Praeterea cavendum est, ne Sodales immoderate aut tanto ardore se ludo dedant, ut sive officia condicionis suae sive opera propria Congregationis ulla ratione negligant. (1)

Illi qui ludos, imo etiam saltationes in Congregationibus faciendas esse defendunt, provocant semper ad *necessitatem sive paedagogicam sive aliam* ludorum et recreationum a catholicis instituendarum. Arguunt iuventutem nec velle nec debere ab istiusmodi recreationibus prorsus abstinere atque nisi nos ei occasionem honeste se recreandi dederimus, eam ad illas recreationes esse accessuram, quae fidei ac moribus periculosae sint. *Concedimus praemissam, sed negamus consequentiam.* Ex principio enim allato non sequitur recreationes illas praecise *a* Congregatione et *in* Congregatione esse instituendas, quippe quae natura sua ad alios fines ordinata sit. Fallitur autem, si quis Congregationem id solum spectare putet, ut Sodales a vitiis retrahantur et in gratia divina conserventur. Bene autem institui possunt illa opera ludorum et gymnasticorum *praeter Congre-*

(1) Cfr. epistolam A. R. P. Wernz ad Praepositos Italiae, 5 augusti 1914.

gationem, etiam specialibus coetibus ad id creatis et a Sodalitate promotis; neque quidquam impedit, quominus coetus illi invigilantiae et inspectioni Congregationis subiaceant, vel etiam nullum nisi Sodalem inter suos socios admittant.

Mos ille *parallelas quasdam societates vel commissiones* praeter et iuxta Congregationem constituendi, etiam ad alios fines utiles vel necessarios obtinendos, non tamen directe ad Congregationem pertinentes, saepe utiliter adhibetur. Habemus exempla in historia Congregationum tam vetere quam recenti talium organisationum parallelarum. Ut alia praetereamus, institutae aliquando sunt societates ex primariis Sodalibus, viris fidelissimis, quibus cura pecuniae et negotiorum temporalium commissa est cum obligatione fidelitatis, ut negotiorum et bonorum proventu opera pia a Congregatione suscepta promoverent et sustentarent, ne ipsa Congregatio rebus et negotiis temporalibus plus aequo occuparetur (1). Sic etiam hodie non raro uniones et societates fiunt extra Congregationem (quamvis ex solis forte Sodalibus) ad ea opera promovenda, quae vitam oeconomicam vel publicam respiciunt, ideoque a Congregatione ipsa vix bene fieri possunt. Congregatio in talibus casibus *consilio et influxu quodam*, praesertim quoad quaestiones religiosas et morales, *societates illas adiuvat*, nec tamen opera illa *tamquam sibi propria respicit*, neque *nomine suo illas ornari permittit.*

Similiter exercitationes istae ludorum, sportivae, saltationisque *promoveri* a Sodalitate possunt, sed *potius secundario et extra Congregationem*, neque more sectionum organismo Congregationis inseri aut eius nomen gerere eas oportet.

(1) Cfr. Elder *Mullan*, The Sodality of Our Lady Studied in the Documents, n. 448.

CHRONICA

Congregatio virorum in Aleppo (Syria).

Urbs Aleppo hodie a circiter 250.000 incolarum inhabitatur, qui maximam partem Mahometi sectam profitentur. Missionarii nostri ab anno 1874 coeperunt simul cum opere missionario etiam viros melioris voluntatis ad coetum Marianum congregare. Ardua erant initia, sed postquam exstructa est ecclesia pulchra et spatiosa, res paulatim meliores evenerunt, et Mariana virorum Sodalitas anno 1903 ad 137 Sodales excrevit. Hic erat maximus eorum ante bellum numerus.

Orta tum tempestas belli et mahometanae persecutionis. Patres nostri loco sui pulsi, templum profanatum ac dirutum. Populus quinque annorum desuetudine vel viam ipsam qua ad residentiam nostram acceditur obliviscebatur. Nostri sedato bello revertentes nihil fere praeter ruinas reperiunt. Director Congregationis trimestri nihil fere agit, nisi ut dispersum gregem congreget. Tandem anno 1920 viginti tres Sodales primum conventum iterum obeunt. Hortatur eos Director, ut illorum loco, quos sive bellum sive typhus famesve e vivorum numero sustulissent, alios Beatae Virgini milites adducerent. Altera hebdomade plus triginta, tertia plus quinquaginta accessere. Statuitur, ut electiones Praefecti et consultorum fiant ubi primum Sodalium acceptatorum numerus quinquagenarium attigerit. Quod aestate eiusdem anni obtigit. Pedetentim ad plura progrediuntur, eo proventu, ut hoc anno non minus 561 sint Sodales formati praeter 37 Candidatos et 97 absentes, qui interim in Americam migraverunt. Non omnes proh dolor semper ad conventus hebdomadales aeque accedere possunt, cum alios longissima itinera, alios aegritudines aut occupata victu quaerendo vita saepe detineant; sunt etiam, ut ubique evenit, quos segniores dixeris. Assidui tamen ut plurimum conveniunt, estque sancitum, ut eorum nomina, qui sex conventibus abfuissent neque iustam absentiae rationem reddidissent, e Congregationis libro delerentur, praemissa monitione.

Habet Congregatio suos magistratus, qui ita sunt ex optimis Sodalibus electi, ut singulis urbis regionibus singuli Consultores praefecti quasi Angelorum Custodum munere fungantur. Horum est etiam aegros in sua ditione Sodales invisere et Directorem, si opus est, Sacramentorum ministrum accersere. Cum quis Sodalis postremum diem obierit, omnes Sodales vocantur et ordine ducto atque vexillo praelato corpus, cuius pectori numisma Congregationis impositum, ad coemeterium sequuntur, coronam Marianam interim publice recitantes, Magistratu praeeunte. Quodsi exsequiarum sollemnitatem in diem dominicam incidere contigit, Sodales ab occupationibus liberiores magna frequentia ad funus confluunt, omniumque animi, etiam ethnicorum, admiratione percelluntur, quod sacrae talis caeremoniae tum pietas tum frequentia iis insolitae prorsus obveniant. Iocantium modo Directori nuper quidam " Nomen, inquit, dabo Congregationi tuae, si promittis mihi quoque funus tam splendidum te daturum, quale ultima hac dominica vidimus ". Cui subridens Director " Promitto id tibi, respondit, si etiam tu mihi polliceris die sabbati te moriturum, ut dominica terrae mandari possis ". Addunt sollemnitates istae Catholicis hominibus animum et eos magni aestimare vel Mahometanos cogunt.

Coetus noster omnibus diebus dominicis convenit, hieme hora prima cum media, aestate hora secunda cum media a meridie. Praeter preces et allocutionem cantum prae ceteris amant indigenae, concrepante cum cantu eorum vetulo harmonio et violino adiuvante, quod harmonium omnibus vocibus edendis par non est. Non sunt istiusmodi musicae exercitationes auribus nimis criticis excipiendae, sed delectant hic animos, et quo maior fit strepitus, eo magis.

Assidue conventibus interesse haud exigua saepe sacrificia postulat Sodalium. Cum enim plerique Catholicorum Mahometanos vitaturi in regiones urbis dissitas emigrarint, ut plurimum longe a templo nostro dissident, atque sunt qui tres horae partes pedibus itinerando cum accedunt insumant. Adde his regionibus aestivum calorem centigradibus non raro 42 numerari, hieme autem tanto Aquilonis frigido turbine urbem infestari, ut vel egredi domo durum sit. Seniculo cuidam 70 annos nato Director aliquando " Tibi, inquit, domi manendum tanta hieme erat ". Reposuit senex: " Ego vero plus apud Virginem mereri tali tempestate autumor; visne Pater, huic occasioni renuntiem? ".

Utinam in istis regnis ope fidei et devotionis Sodalium Marianorum lux Evangelii illucescat plerisque illis hominibus, qui adhuc in tenebris et umbra mortis sedent!

Anniversarius 70.mus Congregationis Collegii S. Ignatii Zi-ka-wei in Sinis.

Die festo Immaculatae Conceptionis, quo Congregatio haec 70.mum vitae suae annum perfecit, sollemnitates anniversariae magno cum fervore actae sunt. Congregatio Romana Primaria epistolam gratulatoriam caritatis plenam hac occasione fratribus Sodalibus dedit. "Quos, inquiunt, fraterna sub Beatissima Matre sibi iungunt vincula, eos nec montes nec maria separare possunt, non nationum vel linguarum varietas dissociare". Ipso mane diei festi epistola item gratulatoria Delegati Apostolici advenit. Alumni Collegii veteres, qui singulis annis semel convenire solent, conventus huius anni ad hunc diem indicaverant et plus quam 60 advenerunt. Hi etiam missam sollemnem a Vicario Apostolico oblatam cantu suo ornabant; Episcopo praeter Collegii Rectorem P. Firminus Sen assistebat, qui inter primos huius Congregationis Sodales adnumeratus quondam fuerat.

Ad coetum congregatum sacerdos Sinensis P. Tsang de Immaculata Conceptione dicit. Tum Sodales omnes ad s. synaxin accedunt. Ante meridiem fit novi magistratus electio; Vicarius Apostolicus Sodales alloquitur. Datur prandium lautius, hora 2 1/2 vero in aula theatri conventus Congregationis fit ordinario more, praeterquam quod P. Rector epistolas Delegati Apostolici et Primae Primariae legit; quae quantum placuerint, frequente circumstantium Sodalium oborto plausu ostenditur. Piae deinde imagines, quae vivae vocantur, ex vita B. M. V., oculos animosque delectant. Declinante ad vesperum die finis sollemnitati in templo imponitur hymno Ambrosiano et benedictione eucharistica. Domum revertuntur omnes grato animo erga Beatam Virginem eiusque familiam, cui septuaginta annorum longa serie tot beneficia accepta retulerunt. Viget igitur et ad spem altiorem nos erigit familia Mariana etiam in terris quae mortis adhuc caligine maximam partem opertae iacent.

Foederatio nationalis Congregationum iuventutis Polonae.

Inde a quinque annis existit apud nos foedus Sodalitatum iuventutis masculinae scholarum mediarum, quotquot sunt in republica Poloniae. Iuxta ultimam impressam relationem anni 1923, ad foedus illud pertinebant Sodalitates 80 e 53 urbibus reipublicae. Membra numerabat Foederatio sub finem anni elapsi 3677. Organisatio foederis est eiusmodi, ut illi Moderator praesit unus tamquam generalis praeses, cui adiungitur *commissio exsecutiva* et *consilium supremum*. Prior constat tribus regionalibus Moderatoribus trium districtuum Poloniae, tribusque adiunctis Praefectis; aliud constat tot Moderatoribus et Praefectis, quot sunt dioeceses, in quibus foedus initum. Eliguntur hi omnes in annuo omnium Moderatorum et delegatorum omnium Sodalitatum conventu. Hactenus eiusmodi conventus habiti sunt quatuor, quotannis in alia urbe reipublicae. Foedus evulgat propriam ephemeridem menstruam "Pod znakiem Marji" ("sub vexillo Mariae"), cui fere 5000 subscripserunt. Praeterea habetur parvum institutum ediorium, unde prodeunt regulae, diplomata, libri precum tet quidquid Sodalitatibus necessarium est. In toto foedere existunt hactenus 109 sectiones; nempe: pure religiosae 32, apologeticae 37, misericordiae 7, sociales et ethicae 13, curae iuniorum 6, artisticae 6, oeconomicae 3, recreativae 5. Parvae bibliothecae existunt iam 53 cum 11,727 voluminibus. Ultimo anno Secretariatus centralis operis accepit a confoederatis epistulas 2401, dedit 1040. Congressus commissionis executivae habiti sunt duo, praeter varios conventus locales. Opus magni momenti, quod a foedere fit, sunt Exercitia clausa pro sodalibus scholam mediam absolventibus. Hactenus Exercitiorum eiusmodi institutae sunt series 7 cum 163 iuvenibus. Item coepit foedus actionem magnam inter academicos et formavit vel suscitavit Sodalitates academicorum in omnibus universitatibus Poloniae. Sic poterunt iuvenes a schola media ad altiorem sub tutela B. Virginis transire. Totum istud opus, quamvis sit recens, optime evolvitur et maximam spem facit. Directio est penes sacerdotes saeculares (generalis praeses est in nostris Sodalitatibus formatus), quia iubentibus Episcopis in unaquaque schola media praeceptor religionis simul moderari Sodalitatem debet. Incipit formari simile foedus iuventutis scholarum mediarum feminearum, quod ab anno etiam suam ephemeridem habet.

Ioann. Rostworowski S. I.

NUNTII MINORES

Vienna in Austria. His ipsis diebus Februarii omnes congregationes Marianae urbis communes conventus complures instituerunt, non quidem unum congressum – id enim fieri non posse videtur, cum congregationes Viennenses universae sint 360 fere – sed *in singulis urbis districtibus*, qui sunt 21, Sodales eiusdem districtus communem conventum unum habent ad res et negotia communia tractanda et consilia communia capienda, adeo ut sint simul 21 congressus Mariani in una urbe.

Quaedam Sodalitates Marianae Viennenses, quae tempore feriarum aestivarum communia *Exercitia spiritualia clausa* fecerunt, nunc mense Ianuario, semestri post Exercitia elapso, per unum diem animi recollectionem instituunt ita, ut mane in domum exercitiorum conveniant, totum diem aliquo Patre dirigente meditationibus et examinibus tribuant, vespere in sua redeant. I. W.

Mgr Seipel de opportunitate Congregationum Sacerdotum. Ante non multum tempus Congregatio Sacerdotum Viennensis decimum vitae suae annum sollemniter complevit. Mgr Seipel, Austriae Cancellarius, orationem festivam dixit. Tribus momentis ostendit necessitatem Congregationum Sacerdotalium. *Primo* quod sacerdotem, si bene regere Congregationes vellet, prae ceteris in seipso experiri oporteret influxum salutarem Congregationis et organisationis Marianae. *Secundo* quod cum sacerdos semper aliis serviret et prae-

dicaret, facile seipsum oblivisceretur, essetque ei praecipua cura propriae saluti et perfectioni studendum. *Tertio* quod secus periculum immineret, ne seipsum sacerdos quasi avulsum et exceptum e populi christiani communitate sentiret, cum revera non tantum dux populi et pastor fidelium esset, sed etiam ipse ad gregem christianum pertineret, atque aliquando hoc in seipso experiri deberet, genuflectendo, exhortationem audiendo, peccata confitendo, sicut alii homines peccatores facerent. Haec omnia praestari ei Congregatione Sacerdotum. Ibi enim sacerdotem ad condicionem simplicis fidelis demitti, sacrorumque usum ad suam utilitatem et spiritualem animi recreationem converti, unde cum maiore vigore interno ad officia pastoris redire posset.

Tridentum (Italia). De nostra Congregatione Mariana adolescentium bene auditur in civitate, ita ut in parochia SS. Apostolorum Petri et Pauli, quae potior est, duae similes Congregationes erectae sint, pueris et puellis; ipsi enim sacerdotes saeculares, uberes fructus huius sodalitii admirati, facili comparatione longe praeferunt Circulis Congregationem Beatae Virginis. Plerumque tamen difficultas pro paroeciis invenitur in habendis Directoribus, qui bene instructi sint et copiam temporis habeant. Nostra Congregatio, licet omni solatio externo careat, aucta est hoc anno (tertio a fundatione) ad 75 sodales, qui omnes auditores sunt cursus medii, ita ut non iam in sacello, nimis angusto, sed in templo sua peculiaria exercitia pietatis faciant. In sacello tamen adhuc traduntur adhortationes. A. Frocchi S. J.

Belem-Pará (Brasilia). Congregationes agiles tam virorum quam mulierum in Residentia nostra novum incrementum ceperunt inde, quod redditum es nobis a Gubernio templum nostrum antiquum " Sanctae Mariae de Mercede ". Inter opera Congregationis nova id mentione speciali dignum occurrit, scholam vespertinam a Congreganistis nostris apertam esse *pueris diurnalium venditoribus;* quae schola ab hora 7 1/2 usque ad 8 1/2 habetur. Nunc etiam hospitium his pueris constituendum Congreganistae cogitant, quod plerique horum puerorum parentibus orbati ne domum aut lectum quidem habeant, quo se noctu conferant. (" O Legionario de Maria ", Ian. 1924). Hoc apostolatus genere non solum caritas exercetur, sed etiam diurnalium bonorum propagatio aptissime promovetur. In hoc enim apostolatu diurnalium plus pendet a venditoribus illis in platea clamantibus, quam credideris.

TELEPHONIUM EDITORIS

Omnibus Patribus, qui Secretariatui huic Centrali et ephemeridi tanto cum amore bene precati sunt, plurimas Editor gratias agit. Iis autem modo omnino speciali, qui etiam nuntios de rebus ad Congregationem pertinentes iam miserunt. Vivant sequentes! Gratias etiam pro primis qui confluxerunt obolis!

Correctionibus indicationum (si cui Directori ephemeridem mittere omisimus) satisfacere conati sumus. Si qui adhuc errores permanserint, velint id lectores Editori chartula postali indicare.

Primus numerus videtur grate esse acceptus; sola forma qua usi sumus satis multis displicuit, quod eam nimis magnam plerique putarent et minus aptam ad ligandos ac compingendos fasciculos totius anni. Itaque stante adhuc characterum compositione novam editionem minorem curavimus foliaque primi numeri iterum iis mittemus, qui id desideraverint.

LIBRI NOVI

P. Edward F. Gareschè S. J. (Prov. Missour.): **Sodality Conferences.** Talks on the Common Rules of the Sodalities Aggregated to the Prima Primaria of the Roman College, Edition of Nineteen Hundred and Ten. 363 paginae. Benziger Brothers, New York, 1923, doll. 2.75.

P. Gareschè, qui iam libro suo cui titulus " *Children of Mary* " optima ad usum Sodalium edidit capita, nunc novo libello litteraturam Congregationis ditavit. Notat in praefatione noluisse se completum et systematicum quasi directorium Sodalitatum Moderatoribus praebere, sed potius lectiones faciles ipsis Sodalibus destinatas, quibus tamen vel ipsi Directores uti possent in allocutionibus, quae in conventibus Congregationis haberi solent. Ad hunc finem multa et utilia lector in hoc libro inveniet, facili stylo scripta et amoeno. Sunt autem capita eorum, quae tractat, haec fere: 1. De Regularum auctoritate. 2. Quid sit Sodalitas? 3. De spiritu Congregationis. 4. De vita activa in Congregatione. 5. De erectione et affiliatione. 6. De Patrona primaria. 7. De Patronis secundariis. 8. De extensione Congregationis. 9. De singulis classibus Sodalitatis. 10. De quibusdam Congregationibus specialibus. 11. De conventibus. 12. De exercitationibus conventuum. 13. De aliis conventuum generibus. 14. De Communione generali. 15. De festis Congregationis. 16. De gubernio Congregationis. 17. De potestate Directoris. 18. De qualitatibus Directoris. 19. De Consilio. 20. De officiis minoribus. 21. De admissione Candidatorum. 22. De admissione et dimissione Sodalium. 23. De officiis Sodalium. 24. De bibliotheca Congregationis. 25. De Congressibus, ephemeridibus et Unione Congregationum. – Cum non sit magna copia librorum bene de rebus ad Congregationem spectantibus tractantium, gratias debemus auctori pro labore bene facto.

Conseils practiques à l'usage des Directeurs des Congrégations de la Sainte Vierge.

Directoire des Congrégations de la Sainte Vierge dans les Collèges. A l'usage des Congréganistes. Conseils pratiques.

Utrumque ex Directorio P. Caroli Franchet S. I. extraxit P. L. Badet S. J. Toulouse, Apostolat de la Prière, 9, Rue Montplaisir. Singula opuscula Fr. 2.

Patris Franchet Directorium pro Congregationibus Collegiorum conscriptum magnum valorem practicum habet, estque confertum consiliorum, quae nonnisi longae experientiae vir sensuque paedagogico eximio instructus dare potuit. Directorium istud, quod etiam lingua anglica redditum erat, longo iam tempore direptum est, neque apud bibliopolas venum it. Optime igitur fecit P. Badet, quod novam editionem curavit, eamque duobus libellis divisam, quorum alter solis Directoribus, alter etiam Sodalibus ipsis serviat. Consilia utilia et satis ad minutiores quaestiones descendentia utroque libello porriguntur, nec dubitamus, quin multum haec opuscula ad id collatura sint, ut Congregationes Collegiorum nostrorum in dies floreant. Si quid nobis minus placet, id est, quod uterque libellus singulis tantum milibus exemplarium typis impressus est. Multo maiorem numerum meretur, praesertim ille, qui ipsis Sodalibus destinatus est! Quomodo floreat Congregatio, si tam eximii libelli non libenter et a multis consulantur, praesertim in regionibus, quae etiam speciali ephemeride de rebus Congregationum tractante carent? Utinam mox nova editio desideretur!

Epistolae, relationes, quaestiones etc. ad Secretariatum Generalem Congregationum *qualibet lingua notiore* mitti possunt. Inscriptio est: *Via degli Astalli, 16. Roma* (17).

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*

Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Tribuna di Campitelli, 24